



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Quis possit, & esse debeat Executor Testamenti, vel alterius ultimæ voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

Sunt tamen etiam plures Casus, in quibus Falcidia detractio locum non habet, sic primò non habet locum, si expressè eam prohibuerit testator, non ignarus vitium sui patrimonij. Secundò valde probabile est, quòd locum non habeat in legatis pijs (cùm ad hæc legata se non extendat sæcularis potestas, quæ Falcidiam introduxit) nisi alia pia causa fuisset hæres instituta, in tali enim casu privilegium contra æque privilegiatum nihil prodesset. Tertio locum non habet, si inventarium non conficit hæres hereditatis aditæ, intra tempus, & juxta formam à jure præscriptam, aut si à iudice monitus intra annum testatoris voluntatem non fuit executus; aut si surripuit, negavit, occultavit &c. de bonis hereditatis; aliqua, in penam scilicet admittæ culpæ. Quarto locum non habet, si res legata fuit cum eâ clausula, ut non alienetur, sed perpetuò penes familiam maneat; aut si aliunde res legata privilegiata sit, prout sunt privilegiata legata, in testamento, militari jure, facta &c.

§. IV.

De portione Canonica debita Episcopo ex legatis pijs, & quomodo legata illa sint distribuenda?

Portio Canonica vocatur illa pars, quæ Episcopo debetur, ex ijs, quæ pro salute animæ Ecclesijs, Monasterijs, aut alijs pijs locis intra suam diocesim finis, nec specialiter à jurisdictione Episcopi exemptis, aut privilegiatis, legata, aut mortis causâ donata fuerunt (nisi sint hæc ipsa legata juxta Cap. *Vel. h. r.* à portione Canonica privilegiata) &

alicubi, quarta pars talium legatorum est, alibi tertia pars, alibi dimidia, quia tamen in nostris partibus nullus portio- nis hujus canonicæ usus esse videtur, etsi alicubi usus adhuc viget, quantum, & ex quibus legatis solvenda illa sit, ex recepta consuetudine desumi debet, hinc non videbo, quare multùm de hac materia simus solliciti. videatur Cap. officij 14. cap. requisisti 15. ac cap. de his. 20. h. s.

SECTIO V.

De executione Testamenti
& aliarum ultimarum vo-
luntatum.

§. I.

*Quis possit, & esse debeat Execu-
tor Testamenti, vel alterius ultima
voluntatis.*

Executores testamentorum alij dicuntur testamentarij, qui ab ipso testatore in testamento dantur; alij dicuntur legales, vel legitimi, qui ab ipso jure dantur; alij denique vocantur dativi, qui à magistratu constituuntur, ita tamen, ut hi posteriores, secundo & tertio loco positi, in defectum testamentariorum tantùm dentur; & quamvis ordinariè, si nullus à testatore executor nominatus sit, hæredi incumbat testamento executio, gravitudine ita jubente, & quoad pia legata, Episcopo; possunt tamen executores testamentarij in testamento dati à testatore, & quidem unus, vel plures, sive ex hæredibus, sive ex alijs

alijs extraneis, siue mares sint, siue feminae, etiam minores, modò decimum septimum annum ætatis expleverint, siue laici, siue clerici sint &c. Ita ut si plures sint simpliciter constituti à testatore, possit etiam unus, sine altero, ad executionem procedere, non tantùm si res certa legata sit, quo in casu nihil refert, per quem fiat executio, sed etiam, si modus exequendi, vel executio incerta sit, sint tamen executorum nominatorum aliqui vel mortui, vel in remota regione morentur, vel ob aliud impedimentum diutius duraturum nolint, aut non possint exequi, uti habetur in cap. Religiosus 2. iuncta glossa §. sane v. expressit h. 1. in 6. (ne voluntas scilicet testatoris aut negligatur, aut d u dfferatur nisi testator expressè hoc prohibuisset.

§. II.

Quo pacto Religiosi possint esse executores Testamentorum?

Possunt etiam religiosi esse testatorum executores (exceptis FF. Minoribus de observantia, quibus specialiter hoc prohibet Clement. I. de verb. signif.) tam ad pias, quàm ad profanas causas iuxta citat. cap. Religiosus (cùm tale officium etiam ad profanas causas, sit opus pietatis, & misericordiæ, religiosum per se non dedecens) dummodo per hoc non abstrahantur à servitio divino: & quamvis qui in claustris, vel monasterijs vivunt, propter varias causas, vi superioris immediati (nisi consuetudo, vel peculiare Ordinis constitutiones, aliud præscribant) petere, & obtinere licentiam debeant, nisi sint ipsi

tales superiores; illi tamen religiosi extra monasteria vivunt, benedicti, & sæculari alicui, aut Ecclesie Parochie addicti, non indigent ad munus obeundum superioris licentiâ, ut patet glossa in Cit. cap. 2. V. Religiosus, rationes contra hos non pugnant. Ita tamen gesta à Religioso, qui executor testamento constitutus est, etiam si licentiâ munus hoc exequendi obeat post revocatum licentiâ, quam superior semper revocare potest, etiam non amplius integrâ cùm nulli facta licenter revocando injuriam) valida, cùm canonice prohibeant quidem talem executionem, non tamen invalidam, quòd religiosus talis sufficienter de propria naturâ ad exequendum potestatem habeat, & voluntatem: & quævis exempti sint ab ordinatorum jurisdictione, si tamen executionis testamentariæ munus obeant, debent rationem executionis reddere locorum Ordinariis, & ab his, si in tali executione deliquerint, puniri possunt, prout statuitur Clement. Religiosi h. 1.

§. III.

Utrum executor designatus à testatore compelli possit ad acceptandam, & exequendam, & quomodo?

Non cogitur quidem executor constitutus à testatore ad acceptandam executionis officium, neque ad hoc compelli potest, cùm liberum sit ei datum suscipere (nisi ad exequendum legata Clericis sibi subjectis cogatur Episcopus, si non ut executorem, sed ut suum delegatum, & Commissarium postquam tamen acceptavit (licet non